

quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Sit autem orantibus sermo et precatio cum disciplina, quietem continens et pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis et habitu corporis et modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita contra congruit verecundo modestis precibus orare. Denique magisterio suo Dominus secreto orare nos praecepit, in abditis et semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei; ut sciamus Deum ubique esse praesentem, audire omnes et videre, et majestatis suae plenitudine in abdita quoque et occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus approximans et non Deus de longinquo. Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne coelum et terram ego impleo? Et iterum: In omni loco oculi Dei speculantur bonos et malos. Et quando in unum cum fratribus convenimus, et sacrificia divina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiae et disciplinae memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate jactare, quia Deus non vocis, sed cordis auditor est. Nec admonendus est clamoribus, qui cogitationes hominum videt, probante Domino et dicente: Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? et alio loco: Et scient omnes ecclesiae, quia sum ego scrutator renis et cordis. Quod Anna in primo Regnorum libro ecclesiae typum portans, custodit et servat; quae Dominum non clamosa petitione, sed tacite et modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed manifesta fide. Loquebatur non voce, sed corde, quia sie Deum sciebat audire: et impetravit efficaciter quod petiit, quia fideliter postulavit. Declarat Scriptura divina, quae dicit: Loquebatur